



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sectio IX. De Antiperistasi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

SECTIO IX.

De Antiperistasi.

hil valet, quia potest dici, eam pilam habere quietem in puncto reflexionis, quatenus eidem lapidi, à quo reflectitur, per morulam aliquam adheret, siue lapis moueatur siue non. Alij verò affirmant, dari eam quietem, quia aliàs pila infecta atramento non posset murum inficere, nisi aliquantulum quiesceret. Sed neque hoc argumentum vrget: potest enim responderi, murum ab atramento ibi quiescente non à pilà propriè maculari. Secundo, etiam si ea macula prouenisset à pilà, potuisset efficienr in instanti produci, nec fuisse propterea necessariam vllam morulam.

157 Secundo arguunt: Quando pila tangit murum, comprimuntur aliquantulum partes pilae; quando autem desiliunt, iterum dilantantur: at qui non potest statim in instanti intrare aërad occupandum spatium inter pilam & murum, ergo non potest in instanti desilire. In primis hoc argumentum etiam probat, neque in instanti pilam attingere murum: nam cum sit rotunda, prius attingit secundum partem quasi indiuisibilem, & ab hac pellitur aër foras, qui dum transit, impedit ne partes aliæ tam citò accedant, & consequenter ne tam citò tangant murum, fiatque pilae compressio. Respondeo ergo ad argumentum, à doctis, non dari quietem in puncto reflexionis, non negari, aliquas partes corporis quiescere in eo puncto, quando corpus est tale quod comprimitur dum tangit; addo tamen, illam vltimam partem eius corporis, quae vltima tetigit, & in quam primò potest intrare aër, non quiescere, sed statim instanti sequenti iterum retrahi, & sic successiue ceteras.

158 Maior videtur esse difficultas, si tangat corpus perfectè planum aliud perfectè planum; non enim potest aër, qui est in medio in instanti, exire inde extratorum spatium quod tangit lapis; ergo non potest in instanti tangere planum, & in instanti resiliere. Hæc tamen obiectio non tam probat, non posse in instanti resiliere aut tangere, quam non posse simul omnes partes illius corporis plani aliud planum tangere, & consequenter nec simul resiliere; sed debere prius per vnam partem extremam eleuari: vt quando ex aquâ aliquis æqualiter conatur eleuare asserem planum, non potest, propter vacuum, quia non potest in instanti aër intrare ad medium tabulae. Quoad punctum verò reflexionis, de quo hic, respondendum est sicut paulò antè ostendi exemplo pilae.

159 Tertio potest argui in sententiâ Aristotelis: Si corpus statim in instanti recederet ab altero, sequeretur, dari duo instantia continua, quod est falsum. Probat sequela, quia in primis daretur vnicum illud instans in quo tetigit murum; tetigit enim superficiem indiuisibilem, quod debuit necessariò fieri in instanti; item recessus ab indiuisibili debuit etiam fieri in instanti, quia non potuit deseri res indiuisibilis successiue: ergo fuerunt instantia duo immediata, vnum in quo tetigit, alterum in quo deseruit. Hoc argumentum non caret vi, admissâ eâ sententiâ. Ego autem in meâ, in quâ etiam in motu recto morulas admitendas docui, non grauatè concedam, aliquando in puncto reflexionis dari quietem: non video autem, cur necessariò debeat dari, & non possit in instanti iterum recedere, modo tamen explicato in solutione secundæ argumenti.

160 ANTIPERISTASIS est intensio vnus contrarij ad præsentiam alterius illud circumdantis, vt cum hieme aqua putealis calefit, æstate verò frigidit. Huius antiperistasis inquirimus causam, & modum quo fiat.

Suppono, eam verè dari, contra nonnullos Philosophos eam negantes, aientisque idè hieme aquam putealem sentiri calidam, quia gustus & tactus habent frigiditatem, æstate autem sentiri magis frigidam, quia prædicti sensus habent maiorem calorem. Sed certè hi Auctores falluntur euidenter: quis enim non videat, quantumuis æstate habeamus magnum calorem, adhuc perfectè nos distinguere per sensum aquam frigidam à calidâ, aut à minus frigidâ? imò, quò maiorem habemus calorem, eò aquam minus frigidam apparere, est certo certius. Idem est è contrario in hieme. Præterea, quantumuis quis in hieme, vel quia applicatus fuit ad ignem, vel 161 aliam ob rationem, maiorem habeat calorem in manu aut ore quàm in æstate, si tamen gustet aquam recentè è puteo profundo extractam, illi apparebit calida, & si æstate ob aliam rationem in se frigidus sit, adhuc illi aqua fontium & puteorum apparebit frigida. Adde, si quis æstate valde subterranea profunda loca ingrediatur, statim ibi amittere calorem, & infrigidari, ita vt sapillimè frigus illud valde noceat sanitati, hieme autem è contrario calefieri, ergo quia æstiuo tempore frigidiora sunt subterranea, hieme autè calidiora. Certè id per se tam clarum est, vt non videatur ab vilo posse negari. P. Suarez, quem referi & sequitur Hurtadus Disp. 9. Physicæ §. 87. cum alijs pluribus, docet, causam antiperistasis esse, quia hiemali tempore propter terræ compressionem igneæ exhalationes in terrâ à Sole productæ nequeunt foras egredi, ideoque ab illis terram calefieri; æstate autem, quia dilatantur pori, foras illas exhalationes egredi, quibus expullis, terram & aquam à seipsis infrigidari.

Quoad vltimam partem de terrâ, hæc doctrina in nostris principijs sustineri nõ potest: ostendit enim infra, terram à seipsâ habere calorem, non frigus; ergo est impossibile eam æstate à se ipsâ infrigidari, etiam si sine exhalationibus igneis manserit. In aquâ locum habet P. Suarezij doctrina. Cum enim in se habeat frigiditatem, saltem prope summam, non mirum, si à contrarijs expedita, frigiditatem propriam intendat.

Hinc autem posset quis reddere rationem, cur terra sit frigidior in æstate, scilicet ab aquæ frigiditate. Sed contra, cur enim non potius aqua calefit à calore terræ, quàm è contrario? siquidem ex se tantum terra habet calorem, quantum aqua frigus.

162 Quoad punctum ergo de terrâ dicendum est, eam non augere frigiditatem in æstate per antiperistasin, quia antiperistasis est, vt diximus, quando ad præsentiam contrarij vnus aliud intenditur; terra autem non est contraria Soli in nostrâ sententiâ, est enim calida naturâ suâ (vt infra dicemus) calor autem Soli non est contrarius,

rius, ergo licet terræ frigiditas æstate augeatur ad præsentiam Solis, tamen illud non fit per antiperistafim propriè, sed alio modo. Hic autè videtur esse, quòd cum àer subterraneis locis inclusus naturâ suâ frigidus sit in summo, tunc autem fit immunis ab igneis exhalationibus, seipsum in-
frigidat, & simul terram, quæ admixta est plu-
mo aëri, & aquâ, quæ etiam ex se frigida est.

Dices Primò, difficulter explicari, quâ ratione æstiuo tempore non generentur infra terram tot exhalationes, quot hieme, præsertim cum æstate propinquior sit Sol eas generans quàm hieme; quæ difficultas etiam probat, aquam calidiorem futuram infra terram in æstate, quàm in hieme.

164 Respondeo, hieme esse frequentiores multò pluuias, quàm æstate: eas autem pluuias, cum se- cum calorem ex nubibus afferant, præstare materiam accommodatiorem exhalationibus igneis; æstate autem (quia licet Sol propinquior sit, sunt tamen pluuiæ nullæ) deesse materiam ad eas exhalationes de nouo producendas; quæ autem hieme productæ sunt, foras egrediuntur, vt dixi supra, eo ipso quòd calore aperiuntur pori, ideoque ferè nullæ sunt in æstate, multæ autem hieme.

Dices Secundò: In hieme per puteos, & alias cavitates, quæ sunt factis magni pori, possent exire exhalationes igneæ, si quæ sunt; ergo tunc etiam terra deberet esse frigida, non secus ac in æstate.

165 Respondeo, licet puteus sit in se magna cavitatis per quam possent exire exhalationes, quia tamen sunt valde rari, & reliquum spatium est clausum, absolute terram tunc exhalationes in se continere, ideoque ab eis quodammodo reddi calidiorem.

Dices Tertio: Istæ exhalationes videntur sine fundamento fingi; quis enim eas videt aut experitur? vel vnde potest earum existentia probari? Respondeo negando gratis potè: constat enim manifestâ experientiâ, in multis locis esse tantas, vt in infinitas panè flammas prorumpant; ergo in alijs possumus aliquas tales admittere, licet non tam potentes. Materiam autem dixi esse & aquam & terram: causæ autem sunt influxus caelestes, qui ibi interius metalla producant, item varia corpora virtualiter calida ibi inclusa.

Dices Quarto: Quomodo ergo possunt in æstate omnes illæ exhalationes exire foras? Respondeo, non planè omnes foras exire, sed multò plures quàm in hieme, quod sufficit vt subterranea sint frigidiora tunc quàm in hieme.

166 Rogabis, cur, quando quis niuem in manu gestauit, eamque dimittit, in se sentit maximum calorem. Ratio dubitandi est, quia nix non potest augere vires caloris, sed potius minuere; ergo videtur non posse sentiri in manu maiorem calorem post tactum niuis, quàm antea.

Pro solutione aduerte Primò, in rebus quæ non sunt caloris productiua, non habere locum prædictam experientiam; neque enim ferrum candens, quia niui applicetur, postea maiorem habet calorem: solum ergo prædicta experientia intelligenda est in rebus ex se productiuis caloris, vt v.g. in animantibus.

Aduerte Secundò, etiam in his non habere locum prædictam experientiam si nix maxima sit, & diu applicetur viuenti, tunc enim expellit omnem calorem viuents, ita vt emoriantur membra propter frigus, potius quàm augeatur in eis calor.

Ex his duabus obseruationibus respondeo, 167 idè in prædicto casu sentiri postea manus aridorem, & quia per poros ingressæ sunt plures partes aquæ, quæ cum, recedente niue, à calore natiuo hominis recipiant magnum calorem, torquent ipsum viuens; præterea sanguis, qui confugerat ad cor, statim vt separatur nix, maiori cum copiâ ad manus reuertitur: sicut videmus, vt primùm quis repentino casu terretur, omnem sanguinem à reliquis partibus corporis ad cor confugere; postquam verò animum recuperauerit, sanguinem redire cum maiori copiâ, imò & redire calidiorem, quia à cordis calore auctus est sanguinis calor. non ergo mirum, si tunc calefiat maximè manus ex aduentu calidioris sanguinis.

Rogabis Secundò, vtrum in æstate maior sit calor minor calor stomachi animalis. Communiter dicitur maior in hieme quàm in æstate propter antiperistafim; ideoque facilius dicitur concoqui cibi hieme quàm æstate: censeo tamen, oppositum multò esse probabilius, quod probo aperte Primò, quia omnes cibi calidiores, & calidiora condimenta, item vinum albi, quia calidius est, est multò aptius pro hieme quàm pro æstate, è contrario verò æstate aptissimi sunt omnes cibi frigidi, ergo quia hieme minor calor est stomachi, ideoque debet augeri per cibos calidos, è contrario autem æstate maior est calor stomachi, ideoque debet nutrimentis frigidis temperari: alioquin esset maxima amenitas, quando calor stomachi est minor, & quia exiguis, insufficientis ad perfectam concoctionem, tunc illi applicare cibos frigidiores; quando autem calor esset excedens, illi applicare cibos calidos: sicut si quis ad extinguendum ignem alium ignem applicaret, & ad minuendam niuis frigiditatem, nouam niuem. Secundò idem probatur, quia nulla est causa, à quâ in hieme possit maior stomachi calor provenire. Etenim quando principium aliquod continenter ab agente contrario circumdatur, non potest tam perfecte operari, & tam intentum esse, quàm si eo contrario caret: aqua enim si applicetur vel Soli, vel igni, calidior erit, quàm si sola relinquatur, ergo idem erit in calore animalis; quod vel inde constat, quia corpus hominis maiorem calorem habet in se saltem in partibus exterioribus quas sentimus, in æstate, quàm hieme; ergo quia calor interior est maior: neque enim calor aëris in æstate est ita intentus, vt ab eo possit summus calor producti, præsertim cum in vestibus, quæ propinquiores sunt aëri, non sit tantus calor; ergo prodit ille calor à calore intrinseco.

Dices: Eo ipso quòd foras prodit, intus minor manet. Sed contra, quia non prodit calor per motum localem, saltando ex subiecto interiori ad exterius; si enim hoc modo fieret, haberet locum tua responsio: sed prodit per productionem, id est, quia producitur à calore interiori. Si ergo calor interior fortius operatur in æstate quàm in hieme; ergo maior est in æstate: nam à posteriori, à vehementiori effectu rectè arguitur maior causa vehementia.

Ad rationem in oppositum respondeo, concedendo perfectius concoqui cibos in hieme quàm in æstate, nego tamen id à maiori calore stomachi provenire; imò censeo, propter excessum

sum caloris non adeo rectè fieri concoctionem in ætate. Ratio est, quia ad concoctionem concurrunt primæ qualitates in gradibus homini debitis, seu in mensurâ ad iustitiam, ut dicunt Medici, quod si aliqua ex illis qualitatibus, etiam si sit calor, nimium excedat, sicut nocet sanitati animalis, ita & nutritioni. Quod evidenter confirmatur: quis enim negabit, maiorem esse calorem per totum corpus etiam in ipso stomacho hominis in ardentissimâ febre decumbentis, quàm hominis sani? & tamen ille maior calor non iuuat, sed potius impedit concoctionem & nutritionem, quæ melius fit ab homine sano, & minùs calido; ergo excessus caloris vel per se vel ratione aliarum fortè qualitatum quas causat, impedit concoctionem. Idem dico cum proportione de calore stomachi humani in ætate.

SECTIO X.

Utrum idem possit agere in seipsum.

171 **N**ONnulli impugnant sententiam à nobis explicatam & defensam de causâ antiperistasis; censent enim, nihil posse agere in seipsum; ergo quantumvis aer vel aqua maneat sine contrariis in ætate, nõ poterit suam frigiditatem augere; aliunde ergo petenda est ratio antiperistasis. Porro nihil posse agere in seipsum probant, quia nihil potest esse simul in actu & potentia ad eundem effectum: at si aliquid in se produceret, esset ex hac parte in actu, aliunde verò, quatenus illud potest producere, esset in potentia; ergo simul esset in actu & potentia.

Valde familiaris est multis Auctoribus confusio veritatis æquiuocatione verborum. Illud in potentia dupliciter potest usurpari. Vel prout dicit virtutem operandi: ut sic autem, quomodo, quæso, repugnat, eum qui habet virtutem operandi, simul esse in actu operationis? numquid non omnes cause secundæ, & Deus ipse, quando operantur, simul sunt in actu operationis, & in potentia & virtute ad operandum; idè commune & certum axioma docet, ab actu ad potentiam bonam esse cõsequentiã affirmatiuè. Est actus, ergo potentia. Hoc autem solum sequitur ex eo quod agens in se agat; quid ergo id habet difficultatis? Aliter potest accipi esse in potentia, id est in carentia actus: ut sic autem, fateor repugnare esse in actu, & in potentia, hoc tamen nec per somnium sequitur, ex eo quod agens agat in seipsum. Certè, si hæc obiectio aliquid probaret, etiam persuaderet, materiam non posse in se materialiter causare formam, quod contra ipsos est, quia etiam ex hac parte materia esset in potentia, quia etiam habet virtutem causandi materialiter seu recipiendi, & simul in actu, ut ipsi inferebant.

Porro, posse aliquod agens in seipsum operari, manifestè ostendit contra ipsos experientia, quã videmus, aquam ab igne separatam, propriam frigiditatem in se reproducere. Idem est in animali recuperante propriã virtutem proprium calorem, aliquantulum diminutum ab agente extrinseco: præterea omnia agentia producant suos actus, quod ostendimus fusiùs in libris de Anima. Item lapis, si non impediatur, se ipsum mouet in centrum, ignis sursum, non est ergo hinc impugnan-

da nostra sententia. Distinctio autem, quæ requiritur ad operandum, non est inter subiectum recipiens effectum, & inter causam illum producentem, sed inter effectum productum & causam, de quo fusè in Physicis.

Sed hinc insurgit difficultas: Ergo poterit aer cum vno gradu lucis seipsum intendere vsque ad octauum, quod videtur falsum. Sequela probatur, quia in primis, ut proximè diximus, calor potest operari in proprio subiecto, aliunde autem in nostrã sententiã quilibet gradus caloris continet etiam octauum, cum sit illi omnino similis; ergo poterit illum producere. Neque hic potest recurri ad similitudinem agentis cum passio, eò quod non agat in simile: nam cum non sit distinctum agens à patiente, non potest habere locum ea ratio non agendi in simile, etiam si posset dici, vnam gradum caloris in proprio subiecto non posse amplius producere, eò quod intenderet supra se, quod videtur esse contra naturam agentis. Sed quidquid de hoc sit,

Respondeo Primò, retorquendo argumentum contra eos, qui dicunt, gradus esse heterogeneos; ipse enim bene & merito arbitrantur, quemlibet gradum lucis esse perfectiorem quolibet gradu caloris, & continere illum, & tamen non ideo primus gradus lucis sufficit ad producendum sex gradus in subiecto in quo est; ergo non qui primus gradus sit æquè perfectus cum octauo, idè eò potest producere in proprio subiecto vsque ad octauum.

Respondeo Secundò, has qualitates non esse operatiuas alterius similis qualitatis in proprio subiecto, sed in extraneo: frigus enim niuis ab ipsã substantiã niuis producitur, in alio verò subiecto producitur à frigore niuis. Idem est de reliquis. Quare licet subiectum habeat vnicum gradum lucis, adhuc non potest in seipso alios producere. Ratio à priori fortè est, quia operari immanenter in seipso, perfectior modus est, quàm operari transeunter in alio: vnde licet calor habeat virtutem ad producendum in alio subiecto calorem, non tamen illam habet ad illum producendum in seipso. Habet quidem virtutem ad producendum in seipso alias qualitates imperfectiores ipso calore, ut lux ad producendum calorem, quia perfectio proueniens ex nobiliori modo operandi, temperatur ex imperfectiori termino; ad producendum autem terminum sibi æqualem in seipso, non habet virtutem, ideoque non potest seipsum intendere, nisi per principium multò perfectius ipsã qualitate intensã, sicut aqua est multò perfectior frigore, ideoque potest illum producere in se. Lux, etsi perfectior calore, quia tamen exiguus hic excessus est, non potest per primum gradum sui quoslibet calores producere, sed fortè ad quartum caloris requiretur tertius lucis, & sic de reliquis.

Dixi paulò antè, fortè hanc esse rationem à priori: nam probabiliùs id reducitur in proprias naturas eorum accidentium. Etenim licet, iuxta dicta supra, perfectior sit modus operandi ad intra, quàm producere in alio; non propterea infertur, Angelus v. g. potest producere in se intellectiones; ergo potest easdem vel alias similes producere in alieno etiam subiecto: cuius rei non potest esse ratio maior operationis perfectio, quia potius esset minor perfectio in alio eos producere;